



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Probabilior opinior explicatur. c. 10.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

cellario in gratia perseverat necessitate præcedenti: efficitur, Angelos bonos nunquam fuisse liberos ad peccandum: quare nec laudari potuisse, quod nunquam fuerint præceptum Dei transgressi, & nullo modo peccaverint: sed tantum quod bene egerint: quod si verum est, non fuerunt digni laude quod Luciferum non fuerint imitati, sicut ceteri, qui exemplo illius dicuntur peccasse. Porro autem Angelum ita servasse iustitiam, & illam potuerit amittere per peccatum, plane sensit *Anselm. in libro de casu diaboli cap. 3. & 6.* quia alioqui necessitate, non libertate Angeli boni servassent iustitiam: quod ipse censet absurdum, & colligit ex *Aug. lib. de correptione & gratia cap. 11.* ubi meritum Sanctorum Angelorum in eo constituit, ut malis cadentibus ipsi steterint: quasi diceret, cum possent transgredi non fuerint transgressi.

Augu. 2m.

41.
*Alia absurda
in opinione
Ferrariensis.*

Secundo ex prædicta opinione colligitur, inæqualem servasse Deum modum retributionis inter bonos, & malos: nam cum utriusque in primo instanti promeriti fuerint beatitudinem, non videtur fuisse maior ratio, ob quam Deus quibusdam contulerit in secundo instanti beatitudinem, & per illam eos iustitia confirmaverit, aliis in sua libertate relictis, ut peccare possent, ex quo factum est, ut re ipsa peccaverint: hoc autem merito censemus absurdum: nam quamvis Deus potentia sua absoluta id facere potuisset, tamen ita fecisse, asserendum non est sine maximo fundamento, cum Deus dicatur in retributione habere rationem meriti, & perseverantiae, & in malis non fuerit minus meritum, nec minor perseverantia, antequam peccarent, quam in bonis: nam in bonis Angelis concessa fuit beatitudo in secundo instanti absque ullo respectu operis, quod in eo fieret, aut futurum esset, quia simul cum beatitudine nec meritum, nec consummatio meriti esse potuit, ut supra probatum est: fuisse autem æqualem viam bonorum, & malorum Angelorum colligitur ex *Gregorio Magno lib. 34. moralium cap. 7.* alias 4. ubi docet, Angelos bonos confirmatos esse, ut iam peccare non possent lapsi malorum Angelorum: quasi prior fuerit lapsus malorum & illa sequuta fuerit confirmatio bonorum, quæ sit per meritum consummatum in via, & per beatitudinem in patria.

Greg. Mag.

Tertium absurdum, quod expresse concedit prædicta sententia, est, simul duratione fuisse meritum malum, hoc est, peccatum in malis Angelis, & damnationem illorum, quod capit. 7. satis impugnatum est.

CAPVT X.

Probabilior opinio explicatur.

42.
Multo verior & probabilior mihi semper videtur sententia, quæ assignat instantia aut morulas viæ Angelorum hoc modo, ut in primo instanti boni, & mali in gratia Dei creati meruerint vitam æternam, boni autem logius meritum protrahentes, & perseverantes in merito, conservarint gratiam, cum possent eodem tempore per peccatum illam amittere: mali vero interrupti meritis gratiæ peccaverint in secundo instanti respondenti primo instanti bonorum Angelorum, quod in merito per perseverantiam protrahit fuit: denique in secundo boni receperint præmium beatitudinis: in tertio vero mali supplicio æterno addicti fuerint, & perpetuo

damnati: ita ut in eo tertio instanti, & non antea, inceperit poenam sensus & damni, quia ab eo instanti incepit lex damnationis, tamen prius gratiæ in secundo instanti fuerit. Aliud autem esse damnationis æternæ poenam privationem gratiæ cap. 7. probavimus. Haec sententiam non obscure indicavit *Greg. in 2. dist. 5. q. 1. postquam tam conclus. versic. Ratio eorum non concludit, videtur* siue Angelus adquirat suam naturalem perfectionem discursum temporis, siue non, tamen meritum, non quodcumque, sed perseverantiam, qua confirmatum, prout Deus placuerit perseverantia durationem expectare. De malis vero Angelis nihil peculiare docet: sed in ipsis fuisse ita illa instantia, satis manifeste infelle probatur: de his enim fere nulla est difficultas. Quocirca & *Anselmus lib. de casu diaboli cap. 6.* plane docet Angelos malos, qui ceciderunt, futuros fuisse meliores, si non peccassent, quia perseverassent in iustitia & iustitia accepta intelligit in via viam ad beatitudinem. Sententia hæc prout a nobis proposita est, iam communis est in scholis etiam inter Thomistas: est enim doctrina S. Thomæ ad modum conformis.

In cuius tamen explicationem duo nobis primum præmittenda sunt, deinde propriis rationibus confirmanda. Primum quidem notandum est, instantia seu morulas Angelorum in via non esse momenta individua temporis successuum, qualia sunt instantia nostri temporis, & indivisibilia cuiuscunque motus successuum, sed esse durationes quasdam absque successione, & indivisibiles, non coniunctas motui successuum, coexistentes tamen alicui motui successuum, & durantes per tempus successuum, sicut quum Angelorum, quod in se indivisibile quidem est, ut diximus dist. putat 33. coexistit temporis nostro indivisibili, in successuum tempore illud meriti possumus, ut notavimus, disput. 35. cap. 2. est autem via motus aut vnum instantans Angelo, quod dicitur instans temporis discreti, vna operatio Angeli, siue intellectus, siue voluntatis: quæ quidem maiori, & minori durationi, & temporis successuum coexistere potest prout Angelus magis, aut minus sine via successione intrinseca in ipsamet operatione potest in ea perseverare: existimo enim probabilius multo esse, nullam operationem Angeli, siue nec vllam rem mundi, desinere posse per vltimum suum esse, & ita nec per solum instans nostri temporis posse durare, sed necessario temporis nostro successuum coexistere debere: ita docuerunt *Greg. in 2. dist. 3. q. 1. art. 2. ad 4. & Almainus in q. de libertate voluntatis 4. 7. in 2. opinione arg. 3. nō quod Angelus in continuanda actione libertatem non habeat, ut quidam falso imputant prædictis doctoribus, nam manifestum est: Angelum quous instanti temporis post primum cessare non possit, sed quia nec vllum esse, in quo cessare non possit, sed quia non potest esse idem instans primum, & vltimum esse actionis, sed actio desinere debet per primum non esse: inter instans autem primum, quo actio est, & incipit, & quo non est, cum desinit, debet esse medium tempus. Ratio vero est, quia in definitione cuiuscunque rei, & operationis, necessarium est dari primum non esse, ac proinde cum duo instantia nostri temporis non possint immediate esse aut excogitari: non potest eadem res per vltimum*

*Obstio
vra dicitur.*

muta esse, & simul per primum non esse finiri: quia ultimum esse illius coexisteret instanti vni nostri temporis, & primum non esse debet alteri proxime respondere, quia eidem non poterat, & ita essent duo instantia immediata. Porro autem cuiuscunque rei & operationis necessario debere dari primum non esse respondens instanti primo nostri temporis, hac ratione probatur. Non esse rei, est totum simul absque ulla successione: sed quidquid incipit totum simul & absque successione necessario incipit in instanti primo: ergo datur primum non esse cuiuscunque rei desinentis.

Nescio autem, quo fundamento quidam recentiores contra communem Philosophorum sententiam non dubitauerint asserere esse, aut non esse rei, quod est totum simul, posse incipere successiue, & non necessario in aliquo primo instanti: non si totum est simul & non successiue, totum etiam incipere debet simul, & non successiue: quod autem incipit simul, per primum esse & in instanti incipit. Sed arguunt hoc modo, res permanentes, cum sint tota simul, nihilominus durant per tempus successiue absque intrinseca in ipsis successione: ergo incipere etiam possunt in tempore. Respondeo diuersum esse rationem incipiendi, & permanendi: nam cum incipere, sit habere esse post non esse: necessario debet esse res, quae incipit, ex ea parte duratione terminata: terminus autem necessario debet esse intrinsecus in se, quae totum suum habet esse simul: nam extrinsecus terminus tantum assignatur rei, quae cum sit successiua, in se non habet primam partem, nec primum extremum suae durationis, extrinsecus aliquo extremo terminari debet, quod appellamus non esse: duratio autem & perseverantia rei permanentis, tantum postulat extremum, in quo desinat: vero in re ipsa nec extremum aliquod coexistere potest temporis successiui: imo non potest non coexistere illi: quia durare debet usque ad primum non esse: quare argumentum ductum a permanentia & duratione ad inceptionem non est desumptum a simili. Adde, quod, ut res, quae tota simul est, incipiat in tempore per ultimum non esse, quae nata est incipere in instanti, aliquo modo in se variari debet: nam eadem res manens eadem omnino, non potest ex se quoad inceptionem respondere temporis nostro, & respondere instanti illius indiscriminatim pro solo Dei nutu & voluntate. Ab hac tamen regula & doctrina definitionis excipio instanti temporis nostri, & mutata esse motus cuiuscunque: quia non esse horum non esse per se, sed necessario coniunctum cum esse partis succedentis. Idem est non esse huius mutati esse, aut instantis, quod esse partis succedentis in tempore, aut motu, & quia haec incipit successiue per ultimum non esse, ideo instantia ipsa & mutata esse desinunt per ultimum esse, ita ultimum ipsorum esse sit ultimum non esse partis succedentis.

At obicit quis in hunc modum: generatio rei substantialis tantum durat per instans, & ita desinere debet per ultimum sui esse: ergo & operatio immanens voluntatis, aut intellectus hoc eodem modo desinere posset. Idem est de creatione, quae post primum instans rei creatae iam amplius non est, ac proinde per ultimum esse desinit. Respondeo diuersam esse rationem creationis, & generationis alicuius rei: nam creatio, cum

Vasquez in 1. p. tem. 2.

sit idem cum re creata, durat semper cum illa, & permanet, quandiu etiam permanet res creata, nisi quod illa relatio, quam vocant dependentiam creaturae a creatore, etiam si sit eiusdem omnino rationis, dicitur in primo instanti creatio, in reliquo tempore conservatio: semper tamen est relatio productionis rei alicuius ex nihilo, & nunquam desinit, donec res ipsa annihiletur, ut constat ex illis, quae diximus sup. d. 173. cap. 3. generatio vero substantialis, quae est relatio, aut via, qua fit res genita, & pender ab agente, desinit per ultimum esse, & tantum est per instans, si res producta non pendet in sui conservatione a causa efficiendi, sicut pedit lumen in aere productum a luminoso corpore: nam ordo ille, quem vocat Philosophi dependentiam rei genitae a generante, non respicit proxime substantiam ipsius causae producentis & generantis secundum se, sed ratione dispositionum & qualitarum, quae preparant paulatim ad formae geniti introductionem, quibus etiam respondent aliae similes in ipso genito productae, quae sane non permanent in eodem statu, sed simul atque incipit res genita, incipit interius operari & mutari per ultimum non esse. Quia igitur non esse generationis idem est, quod esse rei genitae, non absolute & in primo instanti, sed ut iam deinceps operantis intra seipsam, & immutantis dispositiones, quae in ipsa manent, ideo generatio desinit per ultimum esse: eo quod eius non esse resultat ex aliquo esse successiui, quod est in re genita, ut explicauimus: hoc autem solum verum habet in generatione animantium, & viuientium, quae fit in instanti in parte determinata: nam non viuientia existimo semper successiue generari, quia per contactum & coniunctionem generantis substantiae prius disponitur pars propinquior, quam remotior, & ita non est pars determinata, in qua primo forma non viuientis introducatur. Ea, quae diximus, vera sunt de naturali modo generationis tam viuientium, quam non viuientium. Quare cum operatio voluntatis, & intellectus non cesset, sicut generatio substantialis, per aliquod esse successiui, cui coniungatur suum non esse necessario debet durare per tempus. Et quamuis de potentia absoluta posset operatio voluntatis desinere per ultimum esse, tamen ipsa voluntas, & intellectus creatus ex se cessare nequeunt ab operatione per ultimum esse illius. Ratio vero est, quia instantia, seu morae in hoc tempore ita debent assignari, ut una alteri omnino succedat: ea vero operatio, quae alteri ex parte coexistit ipsi non dicitur succedere: ergo nec diuersum instans aut moram ab ea constituere dicetur.

CAPVT IX.

Confirmatur praecedens sententia.

His positis dicimus, instans primum bonorum Angelorum fuisse operationem quandam dilectionis Dei, in qua tamdiu perseverauerunt in via, quamdiu Angelus malus in primo instanti dilexit Deum, & in secundo instanti peccauit: & quamuis bonus Angelus in illo primo instanti habuisset alias etiam operationes sub vna illa, quae perseverauit, tamen semper fuisse vnicum instans, propter vnicam illam operationem, ut diximus. Hoc autem modo philosophari de via bonorum & malorum, mihi visum est rationi con-

lii 2

sentia

Quare generatio & creatio desinere possunt per ultimum esse.

46.

47.

Obicit contra dicta.